

**Baget, Michel-Marie - candidat /
Dubertrand, Roch - président. - An
antiquiori deligatione, post femoris
amputationem, alia praestantior ?**

1775.

***Paris : Typis P.G. Simon,
Supremi Senatûs Typographi,
viâ vulgo Mignon nuncupatâ,
Cote : ms 2344, n°18***




D. O. M.

T H E S E S

A N A T O M I C O - C H I R U R G I C Æ.

Præsidi M. ROCHO DUBERTRAND, Facultatis Artium,
& Chirurgiæ Magistro, in almâ Universitate Parisiensi, an-
tiquo Scholarum Præposito, Regiæ Chirurgorum Academiæ
Consiliario, necnon Bibliothecario, &c.



An Antiquiori deligatione, post femoris amputationem, alia præstantior?

N ASCI & mori, ea est lex naturæ; vivere & pati, ea conditio humana. Homo duplici substantiâ conflatur, animâ scilicet & corpore; mutuum utrinquè adeò desideratur commercium, ut, tantillùm eo deficiente ipse languescat; planè destituto mox intereat. Mors autem non est unica hominis necessitas, sunt adhuc varia incommoda varias vitæ periodos insequentia: vix enim in lucem editus, jam maximæ debilitatis præbet argumenta; vult-ne suos artus extendere? Eos confringi subit periculum; in tenerâ, ut in proveciori

A



ætate , vita semper in discrimen protrahitur , partim calculo in cystide urinariâ contento , partim herniâ quandòque incarceratâ , partimque fracturis quas sæpè sæpiùs subsequuntur , dolor , inflammatio , gangræna. Uno verbo neminem latet , quot & quantis corpus humanum obijciatur infòrtuniis , quibus certè obrueretur , nisi citò ei succurreret Chirurgia. Si autèm innumeras inter operationes , quas exsequitur hæc Ars salutifera , amputatio sit sola , quæ scrupulosiùs mentes ab omni ævo detinuit , quæque summam in nostro manum accepisse videtur : nulla est etiam , cujus deligatio , hûc usquè usitata , secùm tanta trahit incommoda , præcipuè post femoris amputationem ; itaque istius infaustæ methodi vitium hîc insectari suscipimus ; postea nostram , ut meliorem simplicioremque elucidabimus : attamen brevis anatomica femoris descriptio priùs est exponenda.

E X A N A T O M I A.

IN femore (maximo totius corporis humani offe) tres præcipuæ partes , corpus scilicet , seu pars media , duæque extremitates , considerandæ veniunt. Corpus incurvatum antrorsùm , ad cylindricam figuram multùm accedit : huic distinguntur facies anterior , & duæ posteriores laterales , asperâ distinctæ lineâ , quæ ad trochanteres superiùs , sic ad inferiores condylos fit bifida. Superiori parti inest caput cartilagine munitum , in medio excavatum , ubi inseritur ligamen rotundum , aut planum (1) , quod includitur in illius ossis articulatione per ἐνδερσιμα cum cavitate cotyloidæâ. Huic apophisi subjacet alia eminentia figuræ cylindricæ , modo obliquo ab inferiore externâ , ad superiorem internam , & tantisper antrorsam partem directâ. Extremitas inferior hujus ossis lata atque crassa est , illiusque basim veluti constituit (2). In illâ observantur quatuor eminentiæ , quarum duæ laterales , & inferiores dicuntur *tuberositates* ; duæque aliæ , seu *condyli* cartilaginibus obducti , articulationis mortui inservientes , posteriùs à se separantur , & anteriùs in trochleæ modum conficiuntur. Illud os tum intùs , tum extùs præter articulationes & musculorum insertionem , membranâ densâ , & elaterio donatâ *πεπλοστέριον* dictâ , defenditur. Quatuordecim vulgò annumeran-

(1) Vid. Heister. compend. anatom. p. 53.

(1) Vid. Winslow. *Traité des os secs.*

tur muscoli femur moventes; tribus elevatur *psoa* nempe, *iliaco* & *pectinæo*; extenditur à majore *glutæo*; alii *glutæi* minor, minimusque, *fasciâ latâ* juvante, femur abducunt; adducitur è contra à *tricipiti* tantum: in orbem versatur, mediantibus *pyriformi*, *gemellis*, *quadrato*, *obturatoribusque*. In femoris etiam structurâ, annotandi sunt muscoli, quibus crus movetur. *Recto* seu *gracili* anteriore, *cruræo*, *vastisque* extenditur; flexitur autem *sartorio semi-membranoso-nervoso*, *bicipiti*, *gracili*que interno; dein actione *poplitæi*, unâ cum *bicipitis* capite longo crus extrâ femirotatione movetur. Omnium horum musculorum, alii sunt liberi, idest partim, tibiæ, partim offi innominato inferuntur; alique femoris ferè longitudinem adæquant, & ei inhærescunt. Vasa femoris sunt omni-gena; arteriæ dicuntur *cruralis* & *musculares*: hæc dividuntur in mediam, & duas laterales. Cruralis autem ab origine ferè est anterior, sensim fit interna, brevi posterior; dein *tricipitem* perforando, *poplitæam* producit. Quodam venas idem, ac sociæ arteriæ, nomen obtinent. Præcipui sunt duo nervi *cruralis* & *sciaticus*: ille seu anterior secundo, tertio & quarto pari lumbari simul unitis efformatur; & similem ejusdem nominis arteriæ viam sequens, varios emittit ramulos. Posterior, *sciaticus-ve* major, è pari ultimo lumbari, tribusque prioribus sacris componitur, per magnam offis ilei incisuram egressus, inter tuberositatem ischii, & majorem trochanterem, per crus totum, pedem ad digitos usque distribuitur.

E X C H I R U R G I A.

I.

AMPUTATIO græcis *αχροτηριασμος* ea est operatio, quâ institutâ, quoddam membrum à corpore reseccatur. Celebrant eam Chirurgi, quoties pars una adeò afficitur, ut nulla spes, aut eam *therapeutice* curandi, aut etiam conservandi absque maciei periculo, supermaneat (1): hæc autem operatio, pro vario loco, varium nomen fortitur. Si spectet membrorum contiguitatem seu *junctionas*, in *articulo* dicitur amputatio; si continuitatem, vel reservantur segmina, vel non, tuncque *seginosa*, aut *circularis*: & hæc imprimis pro femore exsequitur. Omnes inter causas, quæ femur ad amputandum impellunt, recensentur (2) femoris,

(1) Vid. Opera posthum. D. Petit M. C. P.

(1) Vid. Heist. institut. Chir. capit. XXXVI.

aut tibiæ caries prope genu, eorum comminutio; arteriæ *cruralis*, vel *popliteæ* læsio gravis, arteque insanabilis: nulla verò præ aliis frequentior sphacelo, cujus theoriam explicare paucis verbis immoramur. Sphacelus cum sit gangræna ad intensiorem gradum provecta, inde sequitur quædam inter utrumque differentia. Etenim in priore, omni cessante vitali actione, abolitoque fluido nerveo vivificandis partibus inserviente, integra fit destructio; in posteriore è contrà, impedito sanguinis circuitu, mors tantum impendet. Indicia autem sphaceli existentis defumuntur; 1°. à mutato colore cutis, quæ fit fusca, nigra, quæ pustulis ichore repletis defædatur, si sit sphacelus humidus: si ficcus, cutis indurascit, & quasi torrefacta. 2°. A frigiditate & insensibilitate partis, quæ tunc pungi, aut discendi possit absque ullo dolore. 3°. Exurgit exhalatio contaminata; insuper ad vicinia serpit corruptio, quæ ad fatale exitium mox duceret, nisi Chirurgia genti humanæ semper salutifera auxiliatrici manu ei subserviret; nisi que provariis lethiferæ corruptionis gradibus præsentem afferret medelam. In sphacelo autem unicum adest remedium, Artus rescisio (1).

I I.

PRÆMISSIS in femoris ut aliorum artuum amputatione præmittendis, Chirurgum ad externam femoris partem stare par est. Tunc, sanguine coercito torcularis ope D. Petit (2), cutem, quam fieri potest, sursùm attrahi curat, subitoque duos laqueos, ut firmiter contineantur carnes, apponit; tuncque femur in situ directo à famulis contentum cultro falcato ad os usque in loco designato (3) descendit. Postea, cute carnisque unâ sectis, laqueum superiorem solvit, carnesque ossi hærentes, juxta oras earum, linteo fasso, sursùm fortiter retractarum, vel ope fastigiati cultri, vel scalpelli longioris refecat; periosteum inde solerter radendo dividit, & os ipsum ferrulâ aufert. Femore tandem amputato, ligatura vasorum est instituenda, quæ acu curvatâ fili firmioris ceratiquæ instructâ perficitur: nunc ad deligationem.

(1) Vid. Heist. instit. Chir. articul. de gangr. & sphacel. Cels. lib. V. capit. 26. n. 34. Garangeot, *Traité des opérations*. D. Joan. Juncker. tabul. X. de sphacel. n°. II.

(2) Hoc torcular vasa comprimere debet in parte femoris internâ superiori.

(3) Locus ille sit semper inferior, duosque inter laqueos.

III.

QUEMADMODUM *ciò, tutò & jucundè* sententiam maximè de-
cântatam in operationibus suis crepat ars ambidextra ; crepat & illam
in sagaci vulnerum deligatione. Vulnus autem, ut recens, ut simplex,
aliis non discrepat, easdemque in curatione ferè offert indicationes.
Itaque non immeritò jam à longo exulaverunt tot diverfi generis spicula,
lanceoli, forcipes, laquei ; exulavère tot & unguenta, digestiva, nec
non balsama. In deligatione igitur præfenti, cui bono tanta spleniorum,
tanta fasciæ farrago ? Cur molesta positio artûs ? Vulnus illud sanguine
coercito, necnon vincis arteriis, ex se nil periculi habet : hujus è
contrà deligatio, quò complicatior erit ; èd graviora symptomata, èd
lentior curatio, majora denique exfurgunt incommoda. Consideranti
porrò antiquioris, femore resecto, deligationis effectum, & vulnus ampliari,
& malorum vim ac numerum augeri, facilè ei patebit : unde cura-
ratio lenta, si evenit, ipsa incerta, semperque injucunda. Etenim ex
his linamentis rudi modo digestis, variis spleniis, omnibus fasciæ cir-
cuitibus, fituque membri mutilati intempestivo, nascuntur irritationes,
pressionesque periculosæ : sed cùm omnia hæc applicata humorum op-
tandæ degurgitationi obstant, turget membrum, turget idem immensè (1),
fiti ardenti torquetur æger, febris inflammatoriâ, doloribusque symp-
tomaticis necnon convulsivis afficitur. Imò suppuratio, quæ tunc
cohibetur, fit deinde immoderata pravæque indolis ; exinde tumores
varias partes, *inguen* v. g., occupantes, marasmus deinceps, & sæpè
interitus. Abundantiori enim suppuratione in laticem refluxâ, sanguis fit
degener, functiones læduntur, languescunt, aboliuntur. Insuper si fortè
obtainetur curatio, ex hâc fasciatione, fituque trunci præfertim incon-
sultò verticali, superest ossis exsuperantia, ac turbinata hujus membri
figura, quâ artificialis applicatio artûs impeditur.

IV.

Ex suprâ dictis, vulnus amputationis est recens ac simplex : attamen in-
flammatione, subsequenti que ingurgitatione mox laborabitur cùm quo-

(1) Teste D. Monro. Vid. Ess. d'Edimbourg, tom, IV. Aliunde videre est manifesta spleniorum vestigia

dam doloris sensu ; sed sex, octo, plus minusve diebus elapsis, hæc accidentia paulatim evanescunt, & fit salubrior suppuratio, quâ deinceps partes molles deprimuntur, inchoaturque cicatrix à circumferentiâ ad centrum pellicenda : nullus est autem quin videat, quantum methodus Antiquorum, in vulnerum deligatione his omnibus noceat, quàmque pariter optanda sit simplicior, in quâ vulnus ejusque vicinia nec premantur, nec coarctentur ; in quâ demùm suo in opere natura nullatenus perturbetur. *Natura enim simpliciter agit, & agit optimè* : naturam igitur sequatur ars ministra. Sed ut hujus beneficæ matris vota obsequantur, aliam ut simplicio rem melioremque (1) cum celeberrimo D. *Louis* proponere nobis liceat. Femore itaque resecto, vinctis arteriis, linamenta ficca sed mollia in plagam admoveri, postea longum crassumque pro vasorum directione splenium injici, circulatimque fasciam apponi à parte membri superiore ad pollicis è vulnere distantiam ; sex denique fascias simplices carnibus approximandis dicatas ordinari, suademus. Hæ fasciæ, ipsarumve extremitates supra truncum figuram stellæ efformare debent, retinenturque ab ipsâ circulari reflectente, aut aliâ. His ritè peractis, neglectoque pulvillo sub femore resecto, molliter obvoluto (2), ægrum recubare juvat (3). In nostrâ methodo, pressiones, si quæ sint, molles æqualesque fiunt, vulneris diametrum minuitur, ingurgitatio minima, dolores quasi nullæ, suppuratio laudabilis, cicatrix deinde legitima. Quin imò, posito horizontalitè membro, carnes non retrahuntur, prævidetur offis exsuperantia, facilisque *πρωεισι* ansa præbetur : cumque æger, nostrâ methodo, varios motus faciliùs exercere potest (4), minùs angitur, minùs vexatur, commodioremque ad somnum habet propensionem. Nostræ sententiæ objicient forsàn adversarii sanguinis profluvium, hocce situ, valdè esse pertimescendum ; Vanus Timor ! Si enim perpen-

(1) Vide acta Acad. Chir. Reg. Tom. II, pag. 400. *De l'appareil & du bandage de l'Amputation.*

(2) Pileo, v. g. laneo, ut commendant D. LEDRAN, *Traité des opérations*, & D. MONRO, *Eff. d'Edimbourg*, Tom. jam cit.

(3) Jubet etiam D. MARET, M. Chir. Divionensis. Vide acta Acad. Divion. Tom. 2, *sur la cause de la saillie de l'os & de sa dénudation à la suite de l'amputation de la cuisse*, page 62.

(4) Teste D. MARET. Vide libr. jam citat.

dant , quòd torcular super vasa relinquamus , quòdque splenium in eorum directionem adhibuerimus, nil reformidabunt, & certè nobiscum concludent.

Ergò Antiquiori deligatione , post femoris amputationem , alia praestantior.

Quas , DEO JUVANTE, tueri conabitur MICHAEL-MARIA BAGET, Parisinus, in almâ Univerſitate Parisienſi Artium liberalium Magiſter, Doct̄or-Medicus Remenſis, necnon Theſeos Auçtor.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Sabbati 27^a Maii à ſeſqui-ſecundâ poſt meridiem ad ſeptimam.

A. R. S. H. 1775.

P R O A C T U P U B L I C O

E T

M A G I S T E R I I L A U R E A.

Typis P. G. SIMON, ſupremi Senatûs Typographi,
viâ vulgò *Mignon* nuncupatâ. 1775.

IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLIS
PARISIIS

IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLIS

PRO ACTU PUBLICO

MAGISTERII LAUREA

Typis P. G. Simon, Impensis Senensis Typographi,
vii. viii. MDCCLXXVII.